

eratam eum sedimento nigro livido materiæ prævæ copiam, & virtutis angustiam sinistro omne innuere: De Hemorrhagiâ, si modum excedat, hepate infrigidato eachxi- am subsequi. Non raro in graviores morbos definit, lapi- dem renum, epilepsiam, convulsionem, pestem, cancrum, schirrum, Crato apud Scholzium consil. 257. affirmat, vix unquam ita discedere, quin aliquas relinquat corpori molestias, præcipue autem pertimescenda esse melancholiā hypo- chondriacā, & Hydropem. Ratio patet ex superioribus, nempe si generata à calore colliquamenta obstantibus obstru- ctionibus non eunt, quo Natura solet deponere, necessariò fieri έξαιφνίας ὑδρώδης καταστάσεις, abdomen attolli tumoribus aquosis.

CURATIO absolvitur tergeminâ Indicantium, & Auxiliorum classe. INDICATIO CURATORIA morbum concernit, ubi, si sola febris foret, ad refrigerandum, humectandumq; omne Medici consilium veluti ad finem esset diri- gendum, præcipiente Galeno q. meth. med. c. 14. Sed cum hæc aliis rebus præter naturam implicitetur, causa nimirum con- juncta sit, eam primo loco PRÆSERVATORIA IN- DICATIO tollere monstrat, imò omne ferè negotium facessit; Proinde humor alteratus; frigidus nempe & sic- cus, calefacientibus & humectantibus; crassus, & visci- dus, attenuantibus, & incidentibus; calidus verò & exu- stus, refrigerantibus; idoneis modis omnibus tollatur; Neu novus subinde generetur, scaturigo ejus intercipia- tur, reserando viscerum obstructiones, corrigendo intem- periem, confortando imbecillitatem. In primis curandum, ut μίασμα illud putrefaciens discutiatur. Si Rigor aut alia symptomata urgent, ea quoq; respicienda. INDICATIO VITALIS respicit vires, propter pertinaciam morbi, quæ clementiam suam compensat, non negligendas. Quibus omnibus satisfaciet auxiliorum materia ex

I. CHIRURGIA. VENÆSECTIO, si febris ab adusto sanguine, aut evacuatione suppressâ, venæ tur- geant, nec adsit aliquid horum, quod prægnanter obstet, ab initio